PA 6768
.S4
Copy 1

PA 6768
.S4
Copy 1

LUDOVICI SCHOPENI

DE

TERENTIO ET DONATO

DISSERTATIO.

DE
TERENTIO ET DONATO
EIUS INTERPRETE
DISSERTATIO CRITICA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB ILLUSTRI ORDINE PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA BORUSSICA RHENANA LEGITIME IMPETRANDOS

SCRIPSIT ATQUE EDIDIT

LUDOVICUS SCHOPEN
MONTANUS, SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN EADEM ACADEMIA SOCIUS.

BONNAE
APUD C. VOM BRUCK
1821.

PA6768
.S4

CHR
JAN 26 1910

Specimen hoc est studiorum, quae in alma nostra Academia felicibus auspiciis condita per hosce annos persequenda mihi elegi; quod quidem a benevolis harumque intelligentibus litterarum non sine quodam favore acceptum iri spero, non mea aut magistrorum causa, sed propter REGIAM voluntatem et Supremorum publicae institutionis Antistitum consilia sapientissima, qui haec studia quum cura sua ac diligentia dignentur, tum naviter atque assidue coli volunt. Duplex est autem huius libelli dos et ratio: una ad Terentium pertinet, altera ad interpretem eius Donatum. Terentium ut commentandi materiam mihi sumserim, id fuit in causa, quod elegantissimum illum poetam, qui inter Latinos scriptores merito semper primi habitus est ordinis, haudquaquam post tot tantasque eruditorum curas ita comparatum cogno-

JUN 3 1899

veram, ut extremam manum eum iam recepisse possit affirmari. Licet enim crisi exercenda Comicum nostrum unice demeritus sit Criticorum princeps Bentleius: est tamen, idque non raro, ubi iudicio ac multo magis ingenio abusus poetam corruperit is potius, quam emendarit, ut verissime nuper exemplis docuit vir, cuius praecipua in his litteris auctoritas censetur, Godofredus Hermannus. In re grammatica autem tractanda plurimum sane operae praeter alios ipse etiam Ruhnkenius collocavit, quanquam Dictatis eius in Terentium plus et utilitatis et auctoritatis foret, si tandem ex meliore et locupletiore apographo, quale Ioh. Gurlittus, vir meritissimus et doctissimus, feliciter possidet, emendatius istae integriusque editae extarent. Neque vero in verbis tantum explicandis emendandisque tota Terentii pertractandi provincia continetur, sed latioribus circumscripta finibus alias plures habet disquirendi materias, a ceteris editoribus aut delibatas modo, aut admodum praetermissas. Enimvero, ut ratio fabularum ac virtutes penitus intelligantur, et, dum legimus Comoedias, ipsas eas quodammodo spectare nobis videamur: tota res scenica personarumque actio, quantum potest, (potest autem permul-

tis locis,) illustretur oportet, et praeter omnia ars illa, tantopere olim celebrata, qua tam ἠθικῶς mores, quam οἰκονομικῶς actus egregie adornavit Terentius, accurate est examinanda et in singulis enucleanda. Cuius quidem rei licet praeclara a doctis quibusdam edita specimina sint: tamen totum id munus a nemine dum iuste expletum esse et sentiri facile et sine superbia dici potest. Restat etiam, ut quum ipsa poetae vita, perobscura illa quidem nonnullis in partibus ac dubitationis plena, in disquisitionem vocetur, tum vero, qualis fabularum varias per aetates existimatio fuerit et imitatio, eo consilio, quod huius libelli p. 9. seq. ipse apertius significavi, de industria investigetur. Atque ego hanc quidem curam, alias habendam, sepono: nunc id tantum ago, ut tam in criticis quam in grammaticis, in quibus totius sane rei fundamentum positum est, praestantissimum illum Latinorum poetam, quacunque ratione possim, adiuvare experiar. Terentium autem quum tractarem, fieri non potuit, quin item ad veteres Commentarios, qui Donati nomen prae se ferunt, animum converterem, eorumque rationem et conditionem curiosius examinarem. Res ipsa tamen hortari videbatur, quoniam a nullo id negotii

adhuc susceptum erat, longius repetere, ac de omnibus universis Terentii enarratoribus paucis disserere.

Iam vero hoc, quicquid est libelli, quam sit tenue, ipse praesertim sentio, et vix studiorum, quae in Seminario nostro Philologico laetissima cum contentione vigent, primitias parvas eruditis offerre ausus eram, nisi a Sodalibus dilectissimis atque ad laudem nobili industria certatim euntibus et meliora his et exquisitiora iam parari moxque effectum iri haberem cognitum.

Scrib. in Academia Borussorum Rhenana extremo Martio 1821.

DE

TERENTIO ET DONATO

EIUS INTERPRETE

DISSERTATIO CRITICA.

PARS PRIMA.

OBSERVATIONES IN TERENTIUM.

ANDR. I. 1. 15.

SOS. *Gaúdeo*
Si tíbi quid feci aut fácio, quod placeát, Simo;
Et id grátum fuisse advórsum te, habeo grátiam.

Omnes, quot scio, interpretes haec verba ita accipiunt, ut *gratum* significet *iucundum*, et *advorsum te* dativi *tibi* vice fungatur. Quod an recte fecerint, vehementer dubito. Si verba, *id gratum fuisse advorsum te*, nihil aliud designarent, quam quod vulgo dicunt: Terentius brevius idque melius dixisset, *Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo, gaudeo et habeo gratiam.* Quanquam vel hoc pacto haeret oratio. Servus, ut est eius natura, gaudet quidem, si id quod facit, domino placet: cur etiam gratiam habeat, nisi propter beneficium ipsi a domino oblatum? Quod et res et sententia requirit, ipsis

in verbis latet. Latini, aeque ac nos, verbis *gratus* et *ingratus* de re et persona iuxta utuntur. Terent. Eunuch. III. 1. 5.:

Est istuc datum
Profecto, ut grata mihi sint, quae facio omnia.

Heaut. II. 3. 21.:

Quod tamen nunc faciam: tum, cum gratum mi esse potuit nolui.

V. 1. 60.:

Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen
Post: et id ingratum.

Plaut. Asin. I. 2. 10.:

Ingrata atque irrita esse omnia intellego
Quae dedi et quod benefeci.

Amphitr. Prol. 48.:

Gratum arbitratur esse id a vobis sibi.

ubi legantur velim quae notavit I. F. Gronovius. Iam vero hac ratione belle omnia cohaerent. Dicit servus: Gaudeo, si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo, et *id gratiam mihi retulisse apud te*, habeo gratiam. Respicit scilicet libertatem, qua herus ipsum bene meritum donaverat. *Advorsum te* interpretatus sum *apud te*, Scholiastem ad h. l. secutus, aliosque Grammaticos veteres. Priscian. lib. XVIII. p. 1182. Putsch. „Attici ἐναντίον τοῦδε pro *coram* illo. Terentius in Andria: *Id gratum fuisse advorsum te habeo gratiam.*“ Non. Marcell. c. 4. p. 615. „Advorsum *apud* significat. Terentius Andria: *Et id gratum fuisse* et q. s.“ Qui quidem verbi

usus aliis quoque scriptoribus est frequens. Livius XLI. 29. „Nihilo plus fidei auctoritatisque habemus *adversus* Romanos, qui semper socii atque amici fuimus, quam Aetoli, pui paullo ante hostes fuerunt.“ Conf. Walchius Emendat. Liv. p. 250.

ANDR. I. 1. 25.

Nam is póstquam excessit éx ephebis, Sósia, ac
Libérius vivendi fuít potestas (nam ántea
Qui scíre posses aút ingenium nóscere,
Dum aetás, metus, magíster prohibebánt? SOS.
Ita est.) etc.

Persuadere nobis studet Bentleius, genuinam lectionem a se sic restitutam esse: *Líbera vivendi fuít potestas.* Propius ad vulgatae lectionis vestigia accedi posset scribendo: *Libere vivendi*, quod aeque bene dicitur. Adi Oudendorpium ad Caes. Bell. Civ. I. 3. Sed vereor, ne omnino ea, qua usus est Bentleius, ratio speciosa sit magis, quam vera. „*Liberius*, inquit, metro officit.“ Atqui ego, dum aurem consulo, et *vivendi* disyllabon pronuncio, plane eundem audire mihi videor numerum, qui hisce versibus inest. Heaut. I. 1. 86.:

Intérea usque illi dé me suppliciúm dabo.

Hecyr. I. 2. 44.:

Praesídium velle sé senectutí suae.

Vivendi autem recte disyllabon effertur. Littera enim *v*, duabus vocalibus inclusa, in pronunciando apud Comicos quam saepissime eliditur, et utraque vocalis contrahitur in unam, ut in *navis, boves, novus, Davus, levis,* etc. Conf. Hermannus Element. doct. metr. p. 65. §. 29. et Schneiderus, Berolinas, Gramm. Lat. Tom. I. p. 362. „Sed *liberius*", pergit Bentleius, „sententiae quoque officit; quippe, si nunc *liberius* vivendi potestas erat, etiam, dum ephebus esset, *libere* vivendi potestatem habebat. Atqui hoc falsum: dum in *metu* agebat et sub *magistro*." Hoc libenter concedimus, quicquid inter se comparatur, affinitate quadam coniunctum sit necesse esse. Libertinum si liberiore vita, quam dum in servitute degeret, uti dicas, absurdi quid dixisse vix negabis. Longe diversa ratio inest nostrae quaestioni. Iuvenis ephebus, etiamsi durissimo sub magistro ageret, nunquam servili utebatur conditione, sed, ut libere natus, quamvis exigua, tamen aliqua semper libertate fruebatur. Hanc respiciens bene et vero comparative pater dicit: *liberius vivendi.* Vir doctus in Miscell. Observ. Vol. III. p. 391., dum vulgatae lectioni contra Bentleium, magno, ut solet, molimine patrocinari conatur, prorsus a via aberravit. Qualia, quum graviora restent, taedet refellere. Bentleius enim aeque callide, nihilo tamen, ut puto, felicius, id quod subinde se-

quitur, aggressus est: *Dum aetas metus, magister prohibebant.* Ipsum audiamus: „Scitum sane, inquit, magistrum seu paedagogum, qui *prohibebat* patrem noscere filii ingenium! nempe data, credo, opera et de industria celabat Simonem, quae prave ageret filius. Hanccine lectionem tam diu ferri! Repono:

Dum eum aetas, metus, magister cohibebant.
Ita est.

Cohibebant retinebant: oppositum *liberae* vivendi potestati.“ Vulgatam lectionem quodammodo cum viro docto l. l. p. 392. ita defendere possis, ut *prohibebant* referas ad *liberius vivendi*, quod aetas, metus, magister prohiberent: at, quum *liberius vivendi* a voce *prohibebant* non solum nimis longe absit, verum etiam parenthesi disiungatur: illam, quam Bentleius secutus est, construendi rationem cuivis ut faciliorem melioremque se probaturam esse existimo. Nemo tamen, nisi qui cupidius rem attrectet, verbum *prohibere* proprie dictum hic accipiat. Ut aetas, metus, ita aeque minus magister „data opera et de industria“ prohibuisse, sed, quo nihil apertius, *impedimento* tantum *fuisse* dicitur. Quo severius enim disciplinam magister exercebat, eo maiori impedimento esse potuit, quo minus verum filii ingenium nosceretur. Observatum est autem saepius, quicquid occasionem vel materiam aliquam praebet, ut quid fiat, aut non fiat,

idem efficere aut prohibere dici. Conf. Gronovius Observ. I. 3. p. 30. et 6. p. 45. ed. Lips.

ANDR. I. 1. 33.

SIM. *Gaudébam.* SOS. *Non iniúria; nam id árbitror*, etc.

Tametsi Bentleium, unicum fere illum Terentiani metri exactorem, ea, qua par est, reverentia suspicio: tamen, ut eius de re metrica dictatis usquequaque subscribam, multum abest. Nam vel hoc loco eo in genere manifesto is lapsus est. „Lege, inquit, *nam id ego árbitror.* Vitatur, quantum potest, in hac statione Trochaeus; neque debet *nam* sine elisione pronunciari, cum extra ictum sit.“ Eandem sententiam dixerat ad Horat. Serm. II. 5. 79. quanquam paullo confidentius ibi trochaeum in sede quarta *raro aut nusquam* Comicos usurpasse ait. Sed tanti viri auctoritas ne in errorem alios inducat, non alienum putavi, ex una hac ipsa scena locos indicare, quibus id saepius a poeta factum esse intelligatur. v. 4.:

Quod tíbi mea ars effícere hoc possit ámplius.

v. 42.:

Intérea mulier quaédam abhinc triénnium.

v. 44.:

Inópia et cognatórum neclegéntia.

v. 81.:

Curábat una fúnus, tristis ínterim.

v. 100.:

Quam túmeo, quorsum evádas; funus ínterim.

v. 118.:

Indígnum facinus; cómperisse Pámphilum.

Non erat igitur, quamobrem in nostro loco Bentleius vulgatam scripturam invitis omnibus libris mutaret; in quam quidem reprehensionem idem rursus incurrit Andr. II. 6. 16., ubi vulgo fertur:

Subtrístis visust ésse aliquantulúm mihi.

Ille, scilicet ut trochaeum vitaret, pro *aliquantulum* scripsit *aliquantillum*. Qua in re mirari tamen subit, cur locos, quibus verum ex regula ista remedium petendum esset, alia potius eaque difficiliore ratione sanare maluerit. Talis est versus ex Eunucho I. 1. 24. qui vulgo male sic legitur:

Restínguet, et te ultro áccusabit, ét dabis ei
Ultró supplicium.

Bentleius vocem *ei*, quae metrum excedit, in alterum versum transponit post *ultro*; sed leviore verborum traiectione locus sic restituetur:

Restínguet, et te ultro áccusabit, et eí dabis
Ultró supplicium.

Quo quidem ipso ordine verba exscripta leguntur apud Ioh. Saresberiensem, Policrat. p. 374., quem saeculi scriptorem undecimi eo libentius testem produxi, quo uno hoc exemplo monerem,

quanti ad emendandos veterum libros possint valere vel inferiorum temporum scriptores, a Criticis, qui in codicibus omnem salutem positam esse existimant, satis plerumque neglecti: quam in rem egregie disseruit praeceptor meus, insigniter de me meritus, C. F. Heinrichius, Comment. prim. in Iuvenal. Sat. Kil. 1806. p. 8. seq. Ceterum isto in loco etiam hoc editores peccasse mihi videntur, quod pro vulgato *accusabis* quibusdam e libris receperint alterum illud *accusabit*; cuius quidem iudicii mei rationes alio tempore expromere placet.

ANDR. I. 1. 35.

SIM. *Sic víta erat: facile ómnes perferre áe pati:*
Cum quíbus erat cumque úna, iis sese dédere,
Eórum óbsequi studiís, advorsus némini,
Numquám praeponens se íllis: ita facíllume
Sine invídia laudem invénias et amicós pares.

Ecce iterum ad partes mihi vocandus est magnus Bentleius, qui hosce versus infeliciter vexavit, dum, nonnullis verbis resectis, eos sic legendos esse censet:

SIM. *Sic víta erat: facile ómnes perferre áe pati:*
Cum quíbus erat cumque úna, iis sese dédere,

Eórum studiis óbsequi: ita facíllume
Sine invídia laudem invénias et amicós pares.

Vir doctus l. l. p. 392. seqq. Bentleium quidem refellere studet; sed quum parum ex more is profecerit, nos denuo singulas rationes, cur ita iudicaverit Bentleius, diligenter expendamus. „Non difficile est, inquit, internoscere hic interpolatorem, qui Terentii purpurae pannum de suo adsuit. Primo, bis vitiose ponitur Arsis, *Eorum obsequí studiís.* Hoc in medio versu non fecisset Terentius, qui, ut ait Flaccus, *arte vincebat.*" Qua in re falsus est vir summus. Licet enim ultimam vocis syllabam acuere ex lege linguae Latinae in commune quidem vetitum sit: poetis tamen hac in re licentia quaedam concessa erat, et quidem alia aliis in versibus; in trimetris certe ultimam syllabam, dum primam aut tertiam διποδίαν occuparet, sub ictu seu in arsi ponere, ipsis fere semper licitum erat; id quod ipse Bentleius egregie docuit in Schediasm. p. XX. ed. Lips. *Obsequi* igitur, quum primam trimetri διποδίαν teneat, non est, cur in ultima syllaba ictum male habere dicamus: immo hoc ne in licentiis quidem ponendum est, quandoquidem una cum extrema antepenultima quoque syllaba ictum habet, eumque talem, ut alter, qui contra linguae rationem in ultimam cadit, ictus prae illo tantum non negligi posse videatur.

Certe sic efferebatur vox illa *óbsequí*, eodemque modo ea, quae mox legitur v. 89. *súspicáns*. Sed in verbo *studiís* aeque vitiose, Bentleio iudice, arsis ponitur. Verbum nimirum istud secundam διποδίαν tenet, ubi ultimas verborum syllabas acuere, vix unquam poetis datum fuisse, Bentleius docet in Schediasm. l. l. Sed en tibi vim exemplorum, quibus id saepius a Terentio admissum fuisse probatur. Andr. I. 1. 89.:

Nil súspicans etiám mali, hem quid id ést? scies.

Eunuch. V. 1. 16.:

Scelésta ovem lupó commisi, díspudet.

Heaut. I. 1. 9.:

Nam pró deum atque hominúm fidem, quid vís tibi?

Ibid. IV. 5. 4.:

Etsí scio, hosce aliquót dies non séntiet.

Adelph. III. 4. 24.:

Persuásit nox, amór, vinum, adulescéntia.

Phorm. I. 2. 37.:

Nos ótiosi operám dabamus Phaédriae.

Ibid. II. 1. 79.:

Nempe Phórmionem; istúnc patronum múlieris.

Ibid. IV. 3. 32.:

Si tu áliquam partem aequí bonique díxeris.

Igitur quum a metricis rationibus ne minimam quidem vitii notam locus habeat: iam videamus, num id ipsum aliis argumentis a Bentleio probetur. „Bis idem, inquit, dicitur, aut quod peius, in posteriore loco minus dicitur, sententia de-

crescente. Qui enim *omnes facile perfert;* quid miri, si *nemini adversus* et infestus est? Qui aliis *obsequitur et dedit sese*, sine dubio *non se praeponit.*" Etiamsi verum esset, quod Bentleius contendit, ego quidem talibus non offendar in scriptore, qui vulgarem et quotidianum imitatur hominum sermonem, iusto nonnunquam verbosiorem. Ac senem quidem, qualis est qui hic loquitur, imprimis verborum parcum non esse, quis nescit? Sed prorsus falsa est disputatio Bentleii. *Perferre* enim *omnes* nihil aliud est, quam unicuique, etiamsi ignotus sit aut molestus, non asperum tamen et inhumanum se praebere; at *adversum esse nemini* non significat, ut Bentleius interpretatur, *nemini infestum esse*, sed tam in factis quam in dictis nemini non morem gerere. Eo sensu saepius mulieres viris adversae esse seu adversari dicuntur. Terent. Hecyr. II. 1. 5.:

Viris esse advorsas aeque studium est.

Plaut. Cas. II. 3. 35.:

Iam domuisti animum, potius ut quod vir velit
Fieri, id facias; quam adversere contra.

Adeo igitur verborum significatio diversa est, ut *perferre* aliquis facile possit omnes; verum *adversari* nemini in quacunque re, inconsulti plane et amentis sit. Vel ipse Pamphilus, qui omnes quidem facile perferebat, amicorum solum nemini adversabatur. Neque vero verba, *nunquam*

praeponens se illis, tautologiae aliquid habent cum praecedentibus illis, *iis sese dedere, eorum obsequi studiis.* Nam qui aliis se dedit eorumque studiis obsequitur, is idem se non praeponit, immo *nunquam* praeponat nullo pacto necesse est. Sed duplex hisce verbis adolescentis notatur virtus, obsequentiae in amicos altera, altera modestiae ac pudoris. Omnino tantum abest, ut ad minora sententia delabatur, ut mihi quidem, sublatis verbis istis, oratio languida prorsus ac manca esse videatur. Prior sententia universe effertur, *omnes* perferre; item altera de sodalibus, *nemini* advorsus, *nunquam* praeponens. „At vitiose", pergit Bentleius, „hic dicitur, *praeponens illis.* Cum enim prius universe locutus sit *Nemini:* dicendum utique erat *Aliis*, non *Illis.*" Quodsi sententiae ratio *Aliis* necessario postularet, id ex quibusdam exemplis, tam scriptis quam editis, facile restitui posset. Sed sensus loci hic est: Omnes quidem, etiam ignotos, facile perferebat; at cum quibus erat cumque una, iis sese dedebat, eorum studiis obsequebatur, advorsus nemini, (scilicet eorum, cum quibus erat una,) nunquam praeponens se illis. Unde apparet, *nemini* non de omnibus hominibus, sed tantum de sodalibus universe dici; cui si pro *illis* subiungatur *aliis*, totius loci sententia plane haeret. Denique male transire Bentleio videtur oratio ab infinitivis ad adiectiva.

„Qui loqui scit, inquit, hoc modo diceret, *adversari* nemini, se non *praeponere.* Quodsi Adiectiva mallet, saltem diceret, *esse advorsum* nemini, casu accusativo; quo tamen pacto *esse praeponentem* barbarum prorsus foret.“ Vide modo tantum virum, quo abripi se passus sit solo obtinendi studio! Per se quidem non barbare profecto dicitur *praeponentem esse* pro *praeponere;* conf. Davisius ad Cic. Tuscul. IV. 3. et Drakenborchius ad Liv. Tom. IV. p. 27. Id quod Graeci aeque dicere amant, satis notum haud dubie, si recordari voluisset, Bentleio. Sed in nostro loco *praeponentem esse* iuxta barbarum esset, atque alterum illud, quod Bentleius mavult, *esse adversum.* Nam in narrationibus, quae per infinitivos fiunt, Latine dicitur *esse adversus, esse praeponens.* Sallust. Iug. c. 6. „Non se inertiae corrumpendum dedit; sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare, et, quum omnes gloria anteiret, omnibus tamen *carus esse.*“ Tacit. Vit. Agric. c. 19. „Omnia scire, non omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare; nec poena semper, sed saepius poenitentia *contentus esse.*“ Et sic ubique Latinorum usu loquendi perpetuo plane et constanti. In talibus autem Latini verbum substantivum saepius omittunt, ut oratio ab infinitivis ad adiectiva aut participia vero transeat; idque praecipue, ut nostro

loco, extremis in narrationibus fieri solet, quo exitum rotundiorem ac validiorem nanciscatur oratio. Sallust. Iug. c. 23. „Praeterea dies noctes, aut per vim, aut dolis tentare; defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare; suos hortando ad virtutem erigere, prorsus *intentus* cuncta parare.“ Tacit. Hist. II. 5. „Vespasianus, acer militiae, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac, si res posceret, manu hostibus obniti; cibo fortuito, veste, habituque vix a gregario milite *discrepans*, prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus *par*.“ Ibid. II. 82. „Ipse Vespasianus adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo, incitare saepius, quam coercere; vitia magis amicorum quam virtutes *dissimulans*. Annal. XIV. 10. „Amici dehinc adire templa, et, coepto exemplo, proxima Campaniae municipia victimis et legationibus laetitiam testari; ipse diversa simulatione *moestus*, et quasi incolumitati suae *infensus* ac morti parentis *inlacrimans*.“

Sed iam satis hisce probasse mihi videor, Bentleio in loco nostro emendandi periculum male cessisse; quod ipsum verbo submonuit litterarum nostrarum summus praeceptor, F. A. Wolfius, Analect. litt. Vol. I. p. 76. Nuper tamen alius, Aristophanem, suos amores, ut videtur, audacia aemulans, denuo Terentiana ista verba tentavit, atque haud scio an ipso Bentleio infeli-

cius. Carolus enim Reisigius Coniectan. in Aristophanem l. I. p. 305. seq. totum locum restituisse sibi ita videtur:

SIM. *Sic víta erat: facile ómnes perferre ác pati,*
Nunquám praeponens se úlli, advorsus némini:
Cum quíbus erat cumque úna, iis sese dédere,
Eórum studiis óbsequi: ita facíllume
Sine invídia laudem invénias et amicós pares.

Verba quidem fere singula servata hic vides; at sententiam corruptam foedissime. Quid enim? An Pamphilus cunctis hominibus, ne vilissimo quidem excepto, postponere se solebat, et impudentissimo cuique nulla in re adversabatur? An ille eos, qui vel ignoti ipsi essent, maiore studio ac benevolentia prosequebatur, quam ipsos sodales suos et amicos? Sed parcam plura reprehendere, ne iudicio aliorum nimis diffisus esse videar.

ANDR. I. 2. 17.

Dum témpus ad eam rém tulit, sivi ánimum ut explerét suum.

„Coniunxerim" inquit Westerhovius „*tempus ad eam rem,* quando *tulit* erit *sivit, permisit.*" Eandem sententiam sequitur Ruhnkenius; sed

uterque, si quid video, fallitur. Latine dicitur *via fert, ducit*, ut Graece *ὁδὸς φέρει, ἄγει εἰς, πρός τι*. Conf. Gronovium Observ. I. 6. p. 45.; inde accommodatur ad tempus, occasionem, aetatem, reliqua, quibus ad aliquid faciendum ducimur, vehimur. Altera est quaestio de verbo *sivi*. Scholion ad h. l., quamvis veri aliquid continet, tamen male sic legitur: „*Sivi*] antique; aliter in Adelphis, [I. 2. 24.] Non sivit egestas facere hoc nos.“ Atqui antiquitus non *sivi* sed *sini* dicebant, teste Diomede l. I. p. 371. Quanquam metro urgente etiam *sii* usurparunt, ut Adelph. l. l. „Non siit egestas et q. s.“ ex vera Bentleii emendatione. Scholiastes igitur in suo Terentii exemplo legerat *sini*, et annotarat, *sini*, *antique* etc. Eam ipsam lectionem quum praeterea codex Colon. apud I. Guilielmium Verisim. I. 3. et Lindenbruchii Mss. omnes habeant, equidem, quin recipienda sit, nullus dubito. Quotidianam scripturam ex more substituerunt scribae. Neque tamen antiquam illam formam Terentii aetate iam obsoletam fuisse, P. Rutilius et Aem. Scaurus testantur, qui licet posterioris essent aetatis, tamen ea sunt usi. Conf. Diomedes l. d. Cavendum est enim maxime, ne scriptoribus, nullo temporum discrimine facto, antiquioris monetae verba ac formae temere obtrudantur. Duo eiusmodi exempla huius loci opportunitate proponam. Andr. V. 2. 12. legitur:

Cura adservandum vinctum; atque audin? quadrupedem constringito.

P. Scriverius Anecdot. philol. p. 83. sinistra manu corrigit, *quadrupede em constringito. Em* seu *im* pro *eum*, ut ab hac tantum parte rem aggrediar, Ennii certe temporibus in usu fuit; sed iam Plautus ea forma fere abstinuit, nedum is, quem inter bonos Latinitatis auctores ipse Cicero, Ep. ad Attic. VII. 3., numerat, Terentius noster. Immo locus, si quis alius, sanus est. Quadrupedem aliquem constringere est, ita aliquem vincire, ut quadrupes videatur. Sueton. Calig. c. 27. „aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more *quadrupedes* coercuit.“ Eadem ratione nuperus Propertii editor, Car. Geloander, peccavit, quum Eleg. I. 3. 36. pro vulgato,

Alterius clausis expulit e foribus.

ex coniectura dedit, *aspulit a foribus. Aspellere* verbum est Plautinae fere aetatis. Nam poeta apud Ciceronem, ipse opinor, Tuscul. II. 10., eo utitur, quo tragica dictio augeatur. At ille „deliberandum est, inquit, quomodo quis e clausis foribus expellatur: mihi nondum liquet.“ Nodum in scirpo quaerit vir optimus, quum ista locutione nihil apud poetas invenias frequentius. Sophocl. Antig. 1171.:

Καὶ τυγχάνω γε κλεῖθρ' ἀνασπάσας οὗ πύλης χαλῶσα.

quem locum, male vulgo intellectum, primus

elegantissime explicuit Naekius V. Cl. in praelectionibus Sophocleis. Horatius Serm. I. 10. 10.:

Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impedia verbis lassas onerantibus auris.

Confer sis de hoc adiectivorum usu proleptico Schaeferum ad Sophoclem Tom. I. p. 231. Plura mox, spero, disputabit Heinrichius ad hoc Iuvenalis VI. 160.:

Et vetus indulget senibus clementia porcis.

ubi quaerere non licet, cur *senibus*, si recte explices, *ut senes fiant.*

Andr. II. 1. 10.

CHAR. *Tu si híc sis, aliter séntias.* BYR. *age age, út lubet.*

Bentleius „Lege, inquit, *aliter censeas;* hoc est, putes, existimes; non *sentias*, quod est percipias, intelligas. Sic Adelph. V. 8. 5. *Haud aliter censeo.*“ En tibi miram in emendando Magistri festinationem! *Sentire* sexcenties profecto non solum percipiendi, intelligendi, sed, quod nostro loco aptissime quadrat, iudicandi, existimandi potestate legitur. Cic. Epist. Fam. I. 7. „Nos quidem hoc *sentimus:* si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum; si dubium, non esse conandum.“ Consulas Gro-

novium Observ. l. II. 4. p. 187. et Ernestium Clav. Cic. s. v. Vir doctus Miscell. Observ. Tom. IV. p. 121. dum contra Bentleium evincere studet, *sentire* idem esse, quod animi sensum *prodere*, in nostro loco totus est alienus. Quomodo autem nomen, quod sequitur, servi (de quo conf. Heinrichius in appendice Epimenidis p. 198.) scribendum sit, utrum *Byrria* an *Pyrria*, a nemine dum, quantum scio, interpretum disceptatum est. Hadr. Iunius de Coma p. 416. in transcursu monet, veram scripturam esse *Pyrrhia*, quoniam derivandum sit nomen a Graeco *πυῤῥίας*. Hoc recte; alterum non item. Littera tenuis P saepius mutata est in mediam B, ut *πύξος* buxus, *κάρπασος* carbasus, *πυῤῥὸς* byrrus (lacerna russei coloris). Adi Salmasium ad Hist. Aug. Script. p. 514. quem hoc egregie docentem miror neglectum nuper esse a Schneidero Gram. Lat. p. 42. et p. 224. Male autem scribitur *Byrrhia*, quum sit *Byrria* scribendum ad similitudinem verborum eiusdem originis, *byrrus*, *burrichus*, et nominis proprii *Burrus*, de quo legendus Ernestius ad Tacit. Annal. XII. 42. Qua ipsa ratione apud Gruterum Inscript. p. 576. nr. 8. et p. 106. nr. 6. scripta leguntur nomina propria a *Burrus* vel *Byrrus* ducta, *Birrius* et feminina forma *Birria*, ubi vocalis *u* vel *y* ex more in *i* abiit.

ANDR. II. 6. 3.

SIM. *Quid Dávus narrat?* DAV. *aéque quicquam núnc quidem.*
SIM. *Nilne? hém.* DAV. *nil prorsus.* SIM. *átqui expectabám quidem.*

Quid, Dave, narrat? recte dedit Bentleius; sed sic diu ante coniecerat Palmerius Spicileg. p. 823. ed. Grut. quem acutissimo virum ingenio ipse Bentleius honorifice nuncupat ad Heautont. I. 1. 91. ut mirum sit, quem bene nosset, eum ne verbo quidem memorare, ubi iuste laudandus esset. Sic coniecturam, quam Andr. III. 5. 18. novam proponit, idem ille iam occupavit Spicilegii sui p. 857. Uterque frustra. Consule Ruhnkenium illic, et Graevium in Syllog. Epist. Burm. Tom. IV. p. 704. Sed in nostro loco, ut ad propositum redeam, alteram corruptelam interpretes, ut solent nonnunquam, videntur silentio praeterisse. Verbis, *aeque quicquam nunc quidem*, designari *nihil*, contextus solus docet. Sino enim respondet *Nilne?* Quod Perizonius ad Sanctii Minerv. I. 13. p. 113. ed. Lips. elliptice dictum esse existimat, ut sit sensus: nunc quidem aeque quicquam narrat, ac narrat tum cum nihil narrat. Verum hac ratione, ut ingenue fatear, quidvis ex quovis nullo negotio extricabis. Mihi, dum similem ellipsin invenero, verba corrupta

esse videntur; quod iam pridem suboluit censori Westerhovii in Actis Erudit. Lips. ann. 1726. p. 256. At hic, dum *aeque quidquam nec quidquam* legendum coniicit, quod aiunt, *κάπνον γε φεύγων εἰς τὸ πῦρ περιέπεσεν*. Sensus enim haeret et metrum corruit. Conf. Hermannus Element. doctr. metr. p. 141. et p. 97. Vide an nos melius quid afferamus, *a e g r e quicquam nunc quidem*, i. e. vix quidquam nunc saltem. *Aegre* rariore significatu positum ansam praebuit corruptelae.

Andr. III. 2. 9.

SIM. *Vel hoc quís non credat, quí te norit, ábs te esse ortum?*

Westerhovio isto in versu synchysis verborum videtur esse, in quibus haec sit constructionis ratio: *quis non credat, qui vel norit te, hoc abs te esse ortum?* Vereor tamen, ne sic una cum verbis sententia ipsa confundendo turbetur. Quanto melius potestatem particulae *vel* perspexit Donatus, qui ita: „Bene, *vel hoc*; subaudias, exceptis illis, quae reprehendit supra.“ Plautus Mil. Glor. I. 1. 59.

Amant te omnes mulieres, neque hercle iniuria,
Qui sis tam pulcer, ut v e l illae, quae here pallio
Me reprehenderunt.

Conf. Terentius Heautont. III. 3. 7. ibid. IV. 6.

2. Hecyr. I. 1. 1. etc. Loquentis animo multa ad confirmandam suam sententiam obversantur exempla, quorum tamen unum in medium protulisse sufficit. Scite huius particulae vim expressit Gronovius ad Cic. Epist. Fam. II. 13. „ne de aliis dicam, ut alia taceam.“ In explicando nostro loco male igitur Westerhovius tantas sibi ipse molestias creavit; atque omnino eorum is est interpretum, qui licet indocti non sint, tamen intelligenti nonnunquam iudicio carent. Qualis idem est in loco, quem non tam vituperandi studio, quam ipsius scriptoris causa hic subiiciam. Heautont. I. 1. 117. haec verba leguntur:

Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad coenam ut veniat: ibo, visam si domi est.
Nihil opus fuit monitore: iam dudum domi
Praesto apud me esse aiunt, et q. s.

Westerhovius ita: „Scilicet ob horologiorum defectum servis *monitoribus* utebantur, qui coena parata vocatos admonerent.“ Ego vero servos bene novi invitatores, vocatores, quos *δειπνοκλήτορας* Graeci dicunt; at de servis monitoribus, qui ad coenam vocarent tardos, nihil constat; immo *monitores* appellantur servi, quorum munus erat obviorum nomina dominis suppeditare. Adi Pignorium de Servis p. 144. seq. Quid igitur? Servis nullus omnino hic locus, quum Chremes diserte dicat, *monere me oportet*. *Monitore* autem h. l. pro monitione ponitur; qui quidem lo-

quendi usus utriusque linguae scriptoribus non est alienus. Iuvenal. I. 13.:

convulsaque marmora clamant
Semper, et assiduo ruptae lectore columnae.

Sophocl. Oed. R. 1147.:

Ἆ, μὴ κόλαζε, πρέσβυ, τόνδ', ἐπεὶ τὰ σὰ
Δεῖται κολαστοῦ μᾶλλον ἢ τὰ τοῦδ' ἔπη.

Andr. III. 5. 9.

Dicam áliquid me inventurúm, ut huic malo áliquam producám moram.

Censori editionis Westerhovii Act. Erudit. Lips. l. d. verba, *ut huic malo aliquam producam moram*, vix significare videntur, *ut hoc malum differam.* „Minima, inquit, mutatione scriberemus: *ut huic malo praeducam moram;* sic erit praeducere moram idem quod alibi *praetendere moram bello.*“ Quam in sententiam licet multum absit ut pedibus eam: tamen laudandus est ille, quod in loco, ab omnibus interpretibus male intellecto, primus offenderit. Ipse Ruhnkenius, quod iure mireris, sinistre comparat verba ex Andr. IV. 1. 24.:

Nisi me lactasses amantem et falsa spe produceres.

ubi significatio verbi *producere* ab ea, quae hic obtinet, immane quantum differt. Scholiastes quidem ad h. l. *producam* interpretatur *prolatem;*

at *moram producere* hac significatione quid aliud est, ac moram, quae est, in longum extendere? Hic inventa opus est. Ne in mora te morer, *producere* exquisite dicitur pro gignere, creare. Plautus Rud. IV. 4. 129.:

Filia mea, salve; ego is sum, qui te produxi, pater.

Captiv. IV. 1. 105.:

Quod hoc est scelus!
Quasi in orbitatem liberos produxerim.

Terentius Adelph. III. 2. 16.:

Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus.

Iam vero quid nostro loco aptius? *Moram creare sibi dictis* ipse Plautus dicit Pseud. I. 3. 159.

Andr. IV. 2. 24.

DAV. *Proinde hínc vos amolímini; nam mi ímpedimento éstis.*
PAMPH. *Ego hanc vísam.* DAV. *Quid tu? quo hínc te agis?* CHAR. *Verúm vis dicam?* DAV. *Immo étiam*
Narrátionis íncipit mi inútium. CHAR. *Quid de mé fiet?*

Terentius mira arte et prope divina, qua hominum ingenia moresque describit, unus omnium maxime excelluit. Varro apud Non. Marc. c. 4.

p. 696. „In argumentis Caecilius poscit palmam, in ἤθεσι Terentius, in sermonibus Plautus.“ Conf. Valckenarius ad Theocrit. Vol. II. p. 165. seq. ed. Berol. Eo gravius in reprehensionem incurrunt, qui artis illius vestigia coniecturis temere inducunt; id quod in nostro loco peccatum est. Gisb. Cuperus Observ. I. 19. legendum coniicit, *verum? vis dicam?* „ut haec velut illudens Charinus ad Davum dicat.“ Quodsi quis ἦθος h. l. dedita opera corrumpere vellet, quidni hoc institueret? Charinum et herilem filium Davus consilio suo misere impeditos reddiderat. Desperant, clamant, minantur: at ille rem perditam iam restituere se promittit, ac, ne ipsi impedimento sint, amoveri eos iubet. Pamphilus igitur postquam securior abiit, Charinus subtristi vultu resistit, metuens scilicet, ne, dum Pamphilo summa Davi contentione ex animo omnia eveniant, ipse spe frustratus uxore excidat. Quam quidem ipsius sollicitudinem quum Davo significaret, tantum abest, ut ironia utatur, ut fere suspirans dicat, *Verum vis dicam? quid de me fiet?* Sed tamen peius illo etiam hic, qui Act. litt. Soc. Rhenotraiect. Tom. IV. p. 295. pro vulgato, *Quid tu? quo hinc te agis?* reponendum censet, *Quid tu? quin hinc te agis?* scilicet ut aptius cohaereat, quod Charinus subiungit, *Verum vis dicam? quid de me fiet?* Metrum ista ratione depravari, nemo non videt; denique omnis hic emendandi

ardor inde est natus, quod quo sensu dicatur, *Quid tu? quo hinc te agis?* parum assecutus erat vir doctus. Verba nimirum ista non eo consilio dicit Davus ut, quo eat, Charinus narret, (id enim scire nihil profecto Davi intererat,) sed ut ad discedendum interrogatione ista admoneatur. Quod quum Charinus bene perspexisset, non id quidem dicit, quod Davus speciose rogaverat, sed curam potius, qua vel maxime urgebatur, servo indicaturus incipit: *Verum vis dicam? Quid de me fiet?* Quodsi igitur haec verba non vere respondentis sunt, quid tandem opus est, ut oratio aptius cohaereat? id quod ipsa illa emendatione minime efficitur. Totius loci sententiam egregie iam intellexit Donatus ad h. l., quamvis ipsius verba, ut nunc feruntur, nihili sunt. Vulgo enim sic audiunt: „*Quo hinc te agis?*] Admonitio discedentis, ut solet. nam a quo discedere desideramus, admonemus eum quo vadat vel quo eat. Id facere per interrogationem admonet Davus Charinum, ut ipse abscedat Charinus, qui nunc ultimus remanet.“ Non dubito, haec esse genuina Donati: „*Quo hinc te agis?*] Admonitio discedendi, ut solet; nam si quem discedere desideramus, admonemus eum id facere per interrogationem, quo vadat vel quo eat.“ Cetera, a sciolo addita, delenda sunt. Corruptelae huius loci ansam dedit permutatio seu traiectio verborum, unde saepius errores

fluxerunt. Conf. Walchius Emendat. Liv. p. 127. seq. Eiusdem vitii animadversione aliud Donati Scholium praeclare vindicavit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 114., cuius tamen emendationem occupat F. Th. Kohlius in Commentationum criticarum libro a. 1717. Hamburgi et Kilonii edito, p. 23. Ceterum Terentiano isto in loco fraudi etiam fuit interpretibus id quod Davus dicit, *Immo etiam narrationis incipit mi initium.* Nonnulli post *etiam* punctum ponunt, ut Davus *Immo etiam* Charino dicat affirmans, reliqua ad spectatores conversus. Verum *immo* nunquam affirmationi servit, sed corrigendi et augendi vim habet; Graecum *μᾶλλον δέ.* Cum vulgata interpunctione optime procedit sententia. Davus, qui expectaverat, ut Charinus mox abiret, neque affirmat neque denegat, quum hic prooemio isto, *Verum vis dicam?* longam ipsi narrationem minatur; sed subiratus aliquantum secum loquitur: *Immo etiam narrationis incipit mi initium*, i. e. tantum abest, ut hic statim abeat, ut vel narrationem mihi incipiat. Qualia ex loquentis animo apud Comicos et Satirarum scriptores supplenda sunt saepius.

PARS SECUNDA.

OBSERVATIONES IN DONATI QUAE FERUNTUR SCHOLIA.

Plures veterum Grammaticorum Terentii composuisse commentarios, etiamsi memoriae nihil quidquam sit proditum, coniectando vel inde liceat assequi, quod tantum non omnes Latinorum scriptorum principes, in quibus, si cui alii, Comico nostro est locus, magistrorum stipati sunt choro, qui et recensuerunt et annotarunt. At disertis nominibus commemorantur Terentii interpretes *Probus*, *Asper*, *Donatus*, *Euanthius*, *Arruntius Celsus*, *Helenius Acro*; quorum licet numero *Adesionem* insuper et *Nigidium* et *Flavium Caprum* vulgo adiungant: ego, rebus paullo diligentius examinatis, aliter sentio, quod mox dicam.

Probus, eorum certe, quos dixi, interpretum antiquissimus, in vulgatis Terentii Scholiis

quum alibi tum hisce in locis laudatur: Eun. I. 1. 1. „Probus *distinguit.*“ Adelph. III. 2. 25. „Probus *adsignat* hoc Sostratae.“ Phorm. V. 8. 16. „*Quaerit* Probus, an matrona tam familiariter, mi homo, recte dicat alieno.“ Eundem esse puto, ac *M. Valerium Probum*, Berytium, cuius vitam primis lineis descripsit Suetonius de illustr. Grammat. c. 24. Quod si est, Neronis temporibus floruit, ut Eusebius docet in Chron. ad ann. LV. p. Ch. n. „Probus Berytius eruditissimus Grammaticorum Romae agnoscitur.“ Conf. Gronovius pater ad Gellii Noct. Att. I. 15. p. 89. et XVII. 9. p. 767. Plurimum studii atque operae in antiquiores contulit scriptores Latinos, quorum, ut ipsis Suetonii verbis utar, „multa exemplaria *emendare* ac *distinguere* et *annotare* curavit.“ Qui, ipsius nomine inscripti, in Putschiano opere p. 1386 — 1542. nunc leguntur libelli, etsi eiusdem commentationum haud parvum numerum Suetonius l. d. et Gellius XV. 30. extitisse testantur, eos tamen a Probo minore, nescio quo, conscriptos esse, certissima in promptu indicia sunt. Ad quem iuniorem, aliumve, ab eo certe de quo hic agitur, diversum, refero commentariorum fragmenta, quae in Iuvenalem et in Virgilium extant; nam Probus ille Berytius nullam, quae ad Virgilium pertineat, scripturam reliquisse videtur; qua de re disputare alias lubet.

Asper Grammaticus secundus a Probo suscepit interpretis partes. Schol. Terent. Adelph. III. 2. 25. „Asper non vult ad omnia servum respondere, sed nutricem putat hoc loqui.“ Conf. IV. 2. 20. Hec. I. 2. 24. etc. Rufin. Grammat. p. 2705. Putsch. „Asper in Commentario Terentii.“ Aspri Commentarii in Virgilium et Sallustium saepius memorantur a Macrobio, Charisio, Hieronymo, Servio. *Aemilium Asprum* Probus ille iunior eum vocat ad Virgil. Eclog. VI. 31. et inde, puto, Pomponius Sabinus ad Aeneid. I. 88. ubi vitiose nunc legitur: „Aemilius Asper in hoc loco ait: haec membra natura sic solet iungere.“ Corrige: membra naturae. Heynius in Praefat. Virgilii p. CXLV. pro *Aemilius Asper* legendum festinantius putat, *Velius Asper*, idem ut sit, qui alibi audiat *Velius Longus*. Velius Asper Longus, in Scholiis ad Statii Achill. II. 41. laudatus, ut ab Aspro, ita a Velio Longo alius videtur esse. De temporis, quo Aemilius noster vixerit, rationibus nihil constat.

Hos autem interpretes *Aelius Donatus* sic et ingenio et iudicii acumine superavit, ut eorum commentarii prae illo in commune fere neglecti esse videantur. Hieronymus advers. Ruffinum Tom. III. p. 92. ed. Bas. „Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium Commentarios, Vulcatii in Orationes Ciceronis, Victorini in Dialogos eius, et *in Terentii Comoedias praeceptoris*

mei Donati aeque in Virgilium et aliorum in alios.“ Commemoratur Terentii interpres item a Prisciano libr. XVIII. p. 1186. „Terentius in Andria. *Ausculta pauca.* Sic enim habent antiqui codices, *teste Donato*, *commentatore eius.*“ Adde eundem lib. I. p. 1167. Aetatem docet Hieronymus in Euseb. Chron. ad ann. CCCLV. p. Ch. „Victorinus Rhetor et Donatus Grammaticus, praeceptor meus Romae insignes habentur.“ Aelii Donati Elementa Grammatices, vulgo Editiones seu Artes vocata, vel pueris cognita sunt, neque minus inde, quae pueris ignoscuntur, *Donati vitia.* Virgilianas eius commentationes Hieronymus laudat l. d., easdemque, quoties Donatum memorat, Servius respectat, qui senem videre potuit puer. Quae in Maronem nunc feruntur commenta, ea Tiberii Claudii Donati esse, Grammatici et aetate et ingenio longe inferioris, inter eruditos iam sat constat. Conf. Heynius in Praef. Virgilii p. CXLVI. De vita Donati nihil prorsus compertum habemus aliud, nisi Grammaticum eum fuisse longe celeberrimum. Oratorem autem potius quam Grammaticum dici se maluisse, libri indicant, qui, quos novi, omnes hunc titulum praeferunt: *Aelii Donati V. C. Oratoris Urbis Romae Commentarii*, etc. *Orator* intelligendus est rhetor, ex temporum illorum loquendi consuetudine. Conf. Cod. Theodos. Tom. V. p. 23. ibique Gothofredus, et Ruhnkenius in Praef.

Rutilii Lupi p. 26. Grammatici nimirum plerique omnes, ab antiquissimis inde temporibus, quamvis discretis professionibus ac suis quaque finibus circumscripta, Rhetorices elementa una cum Grammatica tradebant, nonnullis etiam, quae rhetorum erant propriae, occupatis provinciis. Quintilian. Inst. Orat. lib. II. 1. „*Rhetores nostri suas partes omiserunt, et Grammatici alienas occupaverunt.* Nam et illi declamare modo et scientiam declamandi ac facultatem tradere, officii sui ducunt, idque intra deliberativas iudicialesque materias: nam cetera, ut professione sua minora, despiciunt: et hi non satis credunt excepisse, quae relicta erant, (quo nomine gratia quoque his est habenda) sed ad prosopopoeias usque et ad suasorias, in quibus onus dicendi vel maximum est, irrumpunt. Hinc ergo accidit, ut quae alterius artis prima erant opera, facta sint alterius novissima, et aetas, altioribus iam disciplinis debita, in schola minore subsideat, ac *Rhetoricen apud Grammaticos exerceat.*" Conf. Sueton. de illustr. Grammat. c. 4. Henr. Valesius de Critica lib. I. p. 149. Hinc vel ipso rhetoris seu oratoris nomine, qui altiora appetebant magistri, exornasse se videmus. Uti Donatus, ita Felix Grammaticus, qui Horatii exemplaria contulit, Orator Urbis Romae appellatur. Conf. Bentleii Praef. Horat. p. IX. Lips. Burmannus Sec. ad H. Vales. de Critica p. 181. Apud Gruterum

p. DCLIII. haec est inscriptio: *Palaemon L. L. L. D. F. Gramma. Veicet. atq. Rhet. sibi et Tuberoniae contubernali* etc. quam cur Oudendorpius ad Sueton. p. 967. spuriam suspicetur, quum causam non attulerit, nec mihi liquet. Donatus noster certe in numero fuit Professorum litterarum, qui rite ac legitime constituti iuventutem Romanam liberalibus disciplinis instituebant. Non enim temere ac repente ad hocce munus prosilire (Iuliani Imp. haec verba) licitum erat, sed cuiusque civitatis optimi iique periti, nonnunquam et ipsi Imperatores, studiorum magistros probatos eligebant. Conf. Gothofredus ad Cod. Theodos. Tom. V. p. 31. seqq. Et his quidem solis non modo privilegium erat immunitatis ab omni functione omnique munere publico (conf. idem l. d. p. 24.), verum etiam salaria annua tantum non semper constituta ipsis erant. Qua de re leg. Gothofredus ad Cod. Theod. Tom. V. p. 26. et 42. Lipsius Opp. Tom. III. p. 793. Salmasius ad Script. Hist. Aug. p. 72. Reitzius ad Lucian. Tom. V. p. 520. ed. Bip. Professores autem hi publice ordinati, post plurium annorum stipendia, ut Constantinopoli a Theodosio inde Secundo, Primi Ordinis Comitiva (conf. Cod. Theod. Tom. II. p. 112. ibique Gothofr.): ita Romae tunc temporis decorati esse videntur Clarissimatu (i. e. Senatoria dignitate; conf. Guid. Pancirol. ad Notit. dignit. libr. I. c. 2.), licet ipsi hic atque illic immunes

essent ab omni Ordinis functione. Inde explico, quod in titulo Scholiorum Donati legitur: Aelius Donatus *V. C.* Orator U. R. Eandem dignitatem vindico *Iulio Firmico Materno*, Ordinis Philosophorum sub Constantino Magno Professori, qui in libris titulum praefert *V. C.* quo nonnulli Virum Consularem designari male statuunt. Conf. Fabricii Bibl. Lat. Tom. III. p. 114. not. Eodem dignitatis titulo ornatur *Chalcidius*, Philosophus, quem priori fere aequalem fuisse, Vossius suspicatur de Idololatr. l. II. c. 45. p. 556. Conf. Fabric. d. l. p. 105. *P. Consentium*, cuius nomini quum apud Putschium p. 2018. et in indice libelli de Barbarismis et Metaplasmis a Buttmanno nuper editi item adiunctae honoris istae litterae legantur, eiusdem quo Donatus ordinis, eiusdemque eum dignitatis fuisse, inde coniicio. Hac vero dignitatis nota plures temporum istorum scriptores aut simpliciores veterum mores imitati prorsus abstinuisse, aut ea defraudati esse videntur per incuriam librariorum. Ceterum, ut ad Donatum redeam, Aelios Donatos alios plures Inscriptionum Thesauri Gruteri et Muratorii recondunt, quos congerere hinc alienum est; Aelii autem praenomen haesit multis claris Grammaticis et Sophistis singularem ob causam, quam erudite exponit Cannegieterus apud Pierson. in Praefatione Moeridis p. XLVI. seq.

Euanthius, quartus Terentii interpres, memoratur Rufino Grammatico p. 2705. „Euanthius in Commentario Terentii de fabula i. e. de Comoedia sic dicit: Concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Et postea sic: Veteres etsi usi ipsi quoque metris negligentius, iambici versus duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione huius metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosae orationis.“ Quae quidem verba in fragmento leguntur, etiamnum superstite, edit. Westerhovii Tom. I. p. LIV. Verum, an iustos in omnesque poetae fabulas composuerit commentarios, necne: quum nihil ea de re compertum haberi queat, in medio relinquam. Eadem fere, qua Donatus, is vixit aetate, Eusebio teste in Chron. ad ann. CCCLX. p. Ch. „Euanthius, eruditissimus Grammaticorum Constantinopoli diem obiit, in cuius locum Chrestus ex Africa adducitur.“ Constantinopoli una cum Graecis Latinos docuisse Grammaticos, ex Codice constat Theod. lib. VI. tit. 21. Conf. Gothofredus Tom. II. p. 114. Euanthius certe, ut Donatus, unus fuit de publicis Professoribus, quorum quidem numerus tunc temporis nondum legibus erat finitus; quod Theodosius Minor primus lege sanxit, ne plus viginti utriusque eruditionis Grammatici in Capitolio Urbis Constantinopolitanae profiterentur. Conf. Cod. Theod.

l. XIV. t. 9. cum Gothofredo, Tom. V. p. 205. seqq. De Africa autem, unde adductus ille fuit, qui Euanthio succederet, cogitandum est, Carthagine scholas tum fuisse artium liberalium longe celeberrimas, et Latinarum quidem litterarum ibi ita floruisse studia, ut hinc quoque Carthago a scriptoribus aemula diceretur Romae. Adi Lipsium Opp. Tom. III. p. 791. Salmasium Prolegg. in Solin. (p. 7.) Gothofredum in Cod. Theod. Tom. V. p. 198. Ceterum iuvat intelligere hoc argumento, quam late disseminatus tunc fuerit eruditorum ordo, quum ex Africa vocarentur, qui Constantinopoli docerent litteras.

Arruntii Celsi Commentarii memorantur a Charisio; ut lib. II. p. 185. „*Nimium quantum* Terentius in Phormione; ubi Celsus: pro nimium, uti immane quantum, incredibile quantum; licet quidam sic legant, inquit, ut *nimium* servus dicat, *quantum* vero senex, sed sequentia non intelligunt.“ P. 190. „Terentius in Phormione. *eam amare coepit perdite.* nam ita Arruntius Celsus, et addit: antiqui enim dicebant ardere pro amare.“ Corrige igitur: eam *ardere* coepit perdite. Aeque vitiose l. d. p. 197. apud Putschium nunc legitur: *Huc viciniae,* Terentius in Hecyra; ubi Celsus *adverbialiter*, inquit, *ut domi militiaeque.*“ Verba non in Hecyra, sed duobus aliis in locis leguntur: Andr. I. 1. 43. *commigravit huc viciniae,* et Phorm. I. 2. 45. *vidi virginem hic viciniae.*

Bentleius quidem ad Terent. Andr. l. l., dum ad hanc fabulam verba ista corrupta refert, corrigit: *Terentius in Andria;* sed, quum Charisius Celsi notationes in Phormionem tantum fabulam laudet, aliorum in alias; hic non nisi Phormionem annotasse videtur, ideoque legendum apud Putschium: *Hic viciniae*, *Terentius in Phormione* etc. Celsus Virgilii interpres laudatur a Charisio p. 180. et 191. et a Servio ad Virg. Georg. I. 277. qui si idem est, ut puto, ac Terentianus hic: Donati fere aequalem eum fuisse iudico. *Annaeus Cornutus*, quem nonnulli (conf. Fabric. Bibl. Lat. Tom. I. p. 49.) Terentii commentatorem nuncupant, cum Arruntio nostro male permutatus est. Annaeus Cornutus Virgilii interpres saepius laudatur, Terentii nusquam. Eodem in errore versatur Ianus Parrhasius, Quaesit. per epist. p. 122. Steph. dum inter veteres Terentii interpretes, memoriae fortasse falsus, *Martium Salutarem* recenset, qui Virgilium annotasse fertur, Terentium non item.

Helenius Acro item in Terentium enarrationes reliquit, quarum mentio fit pluribus locis apud Charisium. Cuius ex verbis his (lib. II. p. 173.): „Viderit etenim *Helenius Acro commentariis, quos Adelphis Terentii non indiligentes attulit*, quid altioris causae reive perspexerit, nam ita dicit: ut falso, inquit, et consulto, ita sedulo dictitatum.“ coniiciat aliquis, Acronem in

Adelphos tantum commentarios scripsisse. Verum rursus is memoratur ad Terentii Eunuch. l. l. p. 188. et 192. Neque hic alius videtur ab eo, cuius feruntur Commenta in Horatium. Aelio quidem Donato antiquiorem Acronem esse, Parrhasius contendit, Quaesit. per epist. p. 15. et 122.; id quod mihi parum probabile videtur esse. Manifesto autem falsus est Ernestius in Clav. Cic. Ind. Hist. s. v. Helenius, dum Terentianum nostrum interpretem designari existimat a Cicerone Epist. ad Attic. V. 12. hisce verbis: „Nam id vel *Helenius*, vir gravissimus, potest efficere, cliens tuus.“

Recensuimus Grammaticos, quos certo constat Terentianos commentarios edidisse. Firmis enim testimoniis carent, qui a litteratoribus, quorum alium alius, ut fit, exscribit, praeterea solent enumerari. Parrhasius d. l., Lindenbruchius Comment. Donat. init., et, ne plures, Fabricius in Bibl. Lat. Tom. I. p. 49. *Flavium* quendam *Caprum* Comici nostri interpretem faciunt, inducti, ni fallor, Charisii verbis p. 175. de adverbiis: „Alias pro aliter. Terentius in Andr. Quid alias malim quam hodie has fieri nuptias? *ubi Fl. Caper de latinitate*, non ausim affirmare alias pro aliter dici: nam neque pronomen est, neque adverbium temporis est; sed proximum vero est, ut pro eo, quod est aliter, dictum esse fateamur.“ Iam quid inde probari potest aliud,

quam quod in peculiari, quem de Latinitate is scripsit, libello Terentium in partes vocarit? Hinc male vulgo in Commentatorum numerum refertur; ut magistrorum nonnulli, qui Virgilii verba in grammaticis libellis illustraverant, eam solam ob causam Scholiastarum gregis scribuntur. Conf. Heynius Praef. Virg. p. CXLIII. Idem Flavii Capri libellus laudatur d. l. p. 186. his verbis: „*Novissime* Tiro in Pandecte non recte ait dici, adiicitque, quod sua coeperit aetate id adverbium, ubi *Fl. Caper de latinitate*, miror, inquit, id dixisse Tironem.“ e. q. s. Quo ex loco, (quid enim vetat, in transcursu monere?) verum constare puto titulum, quo varii argumenti libros inscripserit Tullius Tiro, Ciceronis libertus. Vulgo audiunt *Pandectae*. Conf. Gellius Noct. Att. XIII. 9. Budaeus ad Pandect. p. 11. f. v. Ac licet aeque bene et *Pandectes* et *Pandectae* dicatur: tamen, quum exquisitiorem et rariorem formam Grammaticus ille, bonae sane fidei, aperte praebeat, vera haec et genuina videtur esse; quanquam apud Gellium alteram non tollendam censeo. Sed ad Terentii qui feruntur interpretes redeamus. *Nigidius* in Scholiis quidem vulgatis laudatur ad Phorm. I. 4. 4. „*Celari*] Nigidius celari quaerit, utrum plenum sit an pressum.“ Item ad I. 4. 13. et II. 1. 3. Sed quum neque hic neque alibi Commentariorum eius in Terentium mentio reperiatur ulla, ego P. Nigidium Figu-

lum, de Terentianis quibusdam locis in Commentariis Grammaticis egisse puto, quos saepius memorat Gellius, ut III. 12. IV. 9. item Servius ad Virg. Georg. I. 120. Conf. Ian. Rutgersius Var. Lect. III. 16. p. 269. seq. quem idem sensisse postea cognovi.

Adesio autem, cuius mentio apud Scholiastem ad Terent. Eunuch. IV. 4. 22. „Ego Adesionem sequor.“ inter Terentii interpretes fallax nomen et vanum versatur simulacrum; quippe qui ne vixisse quidem unquam videtur, nedum commentarios scripsisse. Nomen scilicet corruptum esse vel inde apparet, quod in eius scriptura mirifice variant libri. Lindenbruchii Ms. habet *Edesionius*, Bentleius ad Terent. l. l. *Aedesio*, Parrhasius Quaesit. per Epist. p. 127. *Adhaesionus*; utrumque, ni fallor, e libris. Aliud quid latere, mihi certo constat; quod ipsum Lindenbruchius suspicatur Comment. Donati initio, Fabricius B. L. Tom. I. p. 49. et Parrhasius l. l. quorum hic *Helenium* substituendum esse contendit. Mihi uti neque haec ratio probatur, ita nec meliorem, quam afferam, nunc habeo.

Ceterum non nesciens hac in disputatione *Calliopium* et *Eugraphium* praetermisi, quorum uterque *veterum* numero *Scholiastarum* haberi non potest; hic propterea, quod Terentii Commentarios saeculo demum X. scripsit, (conf. Westerhovius Praef. Tom. I. p. X. et Fabric. B. L.

Tom. I. p. 49.) ille, quod Comici fabulas non annotavit, sed tantum, ut ipse dicit „recensuit;“ qua de re, veteribus multum frequentata, erudite Burmannus Sec. ad H. Vales. de Crit. p. 180. seq.

Iam vero Terentii Scholiastarum commentarios ad unum omnes temporis nobis invidit iniuria: unum Donatum aetatem tulisse aiunt. Eius scilicet nomine enarrationes inscribi solent, quae in solas quinque Terentii Comoedias leguntur. In Heautontimorumenon enim quae extant, ea non Donati esse, sed Ioh. Calphurnii, Politiani aequalis, norunt eruditi. Conf. Fabric. B. L. Tom. I. p. 49. not. Verum ea ipsa, quae Donati vocantur Scholia, non unius eiusdemque esse magistri, argumentis certo efficitur. Monuerunt ea de re Parrhasius Quaesit. per Epist. p. 124. seqq. Guilielmius Verisimil. I. 18. Tan. Faber Epist. l. I. p. 210. Vossius Art. Grammat. l. VI. c. 13. p. 348. et de recentioribus Lessingius Opp. Tom. XXV. p. 156. et Tom. XV. p. 195. Qui quidem quoniam partim verbo tantum rem áttigere, partim, quamvis expromptis rationibus, tamen totam nondum quaestionem persolverunt: ego huius rei disputationem institui, ut Scholiorum istorum quae sit ratio, quaeque origo et conditio, penitus in posterum intelligatur.

In Terentium, quae Donati fert nomen, Scholiorum farraginem unius Donati non esse, vel inde probari licet, quod fere cuiusvis Scholii

sententia repetita bis terve legitur. Exempla, in tanta multitudine, pauca sufficiant. Ad Andr. I. 1. 10. *Feci, e servo ut esses libertus mihi*, notata sunt haec: „Dulcem libertatem fecit operatione et tractatione verborum, dicendo, *ex servo libertum;* non enim tantam haberet gratiam, si dixisset, *feci libertus ut esses:* quam si dicat, *feci e servo ut esses libertus.* Ac si quis dicat, *feci ut esses sanus*, non tantam haberet gratiam, quam si dicat, *feci, ut ex aegro sanus esses.*" Quae quum satis accurate ac luculenter sint disputata, cur quaeso statim, quasi in compendium redactum, subiicitur idem Scholium? „*E servo*] Mire addit *e servo*, ut vim beneficii exprimeret." Ad Eunuch. III. 5. 7. haec leguntur: „*Quid gestiam*] Gestire est motu corporis monstrare quid sentias. Constat autem, a pecudibus ad homines esse translatum. *Quid gestiam*] Gestire proprie est sensum corporis gestu indicare, quod magis brutorum est animalium. Virgilius, *Et studio incassum videas gestire lavandi.*" Eandem hic bis inculcatam vides sententiam, et sic in locis quam plurimis. Confer sis Scholia in Andr. I. 2. 34. II. 1. 18. II. 2. 17. II. 3. 25. Eunuch. III. 5. 53. V. 6. 22. Adelph. I. 2. 16. III. 3. 48. Hecyr. I. 1. 9. IV. 1. 3. et 16. V. 2. 5. Phorm. II. 3. 3. V. 7. 29. etc.

Nonnunquam etiam diversae notationes ita uxta se positae sunt, ut nemo intelligens exi-

stimare possit, Donati has esse omnes. Adelph. I. 1, 24. *In eo me oblecto*, haec leguntur: „*In eo*] quasi in ea re. *In eo me oblecto*] nove dixit pro eo me oblecto“ Ad Adelph. II. 4. 6. *ne id assentandi facere existimes,* bene annotatum est: „Antiqua ἔλλειψις, deest enim *causa*.“ At continuo subiicitur: „Utrum deest *causa*, an ad ipsam litem sic dicitur?“ Conf. Andr. I. 1. 30. II. 3. 6. II. 4. 7. Eunuch. I. 2. 22. et 23. II. 3. 8. III. 2. 25. III. 5. 2. Adelph. I. 1. 24. I. 2. 7. II. 3. 3. Hecyr. I. 2. 77. Phorm. V. 7. 88. etc. Quae quidem exempla ad sententiam nostram firmandam apprime faciunt. Quamvis enim diversas sententias enumerare solent veteres isti Scholiastae: tamen tantum abest, ut per saturam haec effundant, ut quid sibi, quid aliis videatur, curiose semper distinguant.

Sed, ne dubites, en tertium, quod in promptu est, argumentum. Eodem plerumque in loco prorsus sibi contraria ponuntur, quae si unus revera scripsit Donatus: hic pessimae sit fidei oportet. Andr. I. 1. 28. verba: *plerique omnes,* sic in Scholiis explicantur: „Haec adiectio dicitur in primo posita loco; adiectiones vero aut in prima parte orationis aut in ultima adiiciuntur. Hic ergo *plerique* ex abundantia positum est: *omnes* vero necessario addium est.“ Sed ecce tibi auctoritatem magistri, qui iam palinodiam canit: „*Plerique omnes*] ἀρχαϊσμός est, *nam er-*

rant, qui plerique παρέλκον intelligunt; hoc enim pro una parte orationis dixere veteres." Eodem modo se ipse erroris arguit ad Andr. II. 6. 18. Eunuch. II. 3. 44. IV. 3. 11. et 24. etc.

Tantae denique nugae atque ineptiae elegantissimis alioquin Comici explanationibus leguntur immixtae, ut eidem utrasque tribuere Donato, aeque sit inepti. Quis tandem risum teneat, qui haecce legit ad Andr. I. 2. 23. *Davus sum non Oedipus:* „Multiplex contumelia; potest enim senem quasi sphingem dixisse, id est, deformem monstrique similem; potest etiam inhumanum et ferum, ut sphinx. Potest etiam per Oedipum se ultorem promittere futurum atque oppressorem sapientiae senis." Id genus alia qui animi causa cognoscere cupit, conferat Scholia ad Andr. I. 1. 42. II. 1. 19. III. 1. 12. IV. 3. 1. Eunuch. I. 2. 59. III. 5. 45 etc. ubi intelliget, opinor, Donatianae purpurae miseros pannos similiter esse assutos.

Igitur si unius Donati esse nequit Scholiorum istorum farrago: iam age videamus, a quibus auctoribus eam profectam esse credibile sit. Et maximam quidem eamque praecipuam Commentariorum partem ab eo, cuius nomen profitetur, magistro abiudicare non ausim. Vel quaevis pagina eiusmodi continet observata, quae, uti scriptoris ingenium pariter atque eruditionem probant, ita illustri isto Grammatico non sunt indi-

gna habenda. Atque his ipsis eadem fere inest dicendi elegantia, eadem enarrandi ratio, eademque iudicii subtilitas obtinet et acumen. Spectant autem notationes istae Donati, quibus nihil aptius unquam dictum est in poetam aut ingeniosius, partim sermonis Terentiani proprietatem et naturam, partim fabularum oeconomiam ac personarum ἠθοποιΐαν. Saepius quoque Terentium inter et, quos Latine is extulit, Graecos poetas fit comparatio, qua quid ab imitatore sit praestitum, quidve omissum aut additum, diligenter semper indicatur. Conf. ad Andr. II. 1. 1. V. 3. 20. V. 5. 3. etc. Sed critica etiam nonnunquam a Donato exercetur, et quibusdam quidem in locis uni ipsi scriptura debetur genuina. Conf. Bentleius ad Heautontim. init. Donati enim temporibus veteres Terentii libri etiamnum extabant, unde lectionis varietatem ab ipso enotatam habemus in Scholiis. Eodem ex fonte ea quoque hausisse videtur magister, quibus scenica actio callida brevitate notatur, velut *hoc vultuose*, *hoc cum gestu*, *hoc cum capitis iactatione dicitur*, et innumera hoc genus. Talia a veteribus doctis, et quidem ipsis ab histrionibus claris, dum in scena partes agunt, accepta, suo quodque loco in libris adscripta fuisse, vel hoc fidem facit, quod plura eiusmodi, quae omissa sunt postea, observata continebantur antiquioribus Comoediarum exemplis; ut ex Donato certo constat, qui ita in

Praefat. Adelphorum: „Modulata est autem tibiis dextris, id est, Lydiis, ob seriam gravitatem, qua fere in omnibus Comoediis utitur hic poeta; saepe tamen, mutatis per scenam modis, Cantica mutavit: *quod significat titulus scenae, habens subiectas personis litteras, M. M. C.* Item Diverbia ab histrionibus crebro pronunciata sunt, *quae significantur D. et M. litteris, secundum personarum nomina praescriptis in eo loco, ubi incipit scena.*" Fuere nimirum omnibus, quos novimus, Scholiastis antiquiores quidam, qui licet iustos Terentii commentarios non composuerint, tamen notulis nonnullis eius fabulas instruxerant, quibus tum res scenica illustraretur, tum ceterarum rerum notabilium traderetur historia. Veterum istarum notationum pars etiamnum extant fabularum Didascaliae, quas item Donatus in Comoediarum Praefationibus respicit, ubi perinde atque in Scholiis, (conf. Eunuch. prol. v. 12. ibique Bentleius) alia plura sunt, a veteribus doctis certe residua.

At dubitari non potest, quin his Donati Commentariis ubique conglutinatae legantur enarrationes a librariis Grammaticisque profectae. Nam in describendo librarii copias Donati contraxerunt et attenuarunt saepissime; nonnunquam etiam Scholia tantum ad sensum reddiderunt: quae sic minuta ac mutata, posthac collecta, iuxta genuina Magistri verba inepte posita

sunt; unde eadem eodem in loco bis terve plerumque sententia legitur, nunc breviata, nunc verbis reficta. Sed longe plurimae eaeque foedissimae interpolationes ortae sunt inde, quod magistelli, dum suopte Marte illustrarent poetam, margini librorum insulse quidlibet adsperserant; velut ille, qui, memoria magis quam ingenio praeditus, Virgilium cum Terentio componit ad nauseam. Conf. Schol. ad Andr. prol. v. 4. I. 1. 10. et 90. I. 2. 14. II. 3. 1. II. 5. 1. et sic ubivis. Plura interpolationum id genus exempla supra posuimus; quibus innumera addi licet, praesertim ex primis Donati Commentariis, qui extremis multo magis interpolati corruptique sunt. Quodsi is, qui primus Scholia varia, variis ex codicibus collecta, Donato immiscuit, illa Brunsii labore ex libro Halensi edita et ipsa novisset, non minus his quoque ineptiis boni Donati nomen onustum nunc sine dubio haberemus. Cum Brunsiano autem Scholiaste, ut in transcursu hoc dicam, Terentii Scholia ab Ang. Maio edita Mediol. 1815. maximam partem ita congruunt, ut, qui inedita ea putaverit, doctus Italus plane erraverit; tamen laudandus hoc nomine, quod meliora inde excerpta primo ab ipso emendatius edita sunt, quum istas glossulas viles describendo etiam peiores fecerit Brunsius. Ceterum, ut ad propositum redeamus, iis ipsis, quae Donato supposita sunt, quaedam tamen

continentur, haud dubie vindicanda Probo, Aspro, vel de ceteris antiquis interpretibus alii. Adeo nonnulla tum eruditionem tum Latinitatem notas suae antiquitatis habent; quaedam etiam ipse Donatus respexisse videtur in Scholiis.

Hactenus ratio et origo Scholiorum Donati; quae quantam a barbarie temporum et monachorum stupore contraxerint labem, nihil attinet disputare. Sed quam ipsi etiam Viri docti in iis hucusque operam posuerunt, ea levis sane et exilis admodum habenda. Agendum est enim hoc praeter omnia, ut tandem summi viri, Lessingii, iustissimo desiderio prudentissimoque consilio satisfiat, qui germanum Donatum, tot vitiis et interpolationibus depravatum, in integrum denique restitutum dari cuperet. Quam quidem provinciam ornandam alius suscipiat licet exercitatior: nos symbolas hasce contulisse, satis habemus. Ad quas instruendas nobis magnopere profuit vetus exemplum, quod cum ceteris libris Harlesianis feliciter possidet alma haec Academia, impressum Tarvisii ann. MCCCCLXXVII. et inter principes Donati editiones annumeratum.

In Praefatione, qua de Andria didascalica traduntur, exempla, quibus usus sum, omnia habent, fabulam editam esse M. Marcello et *Cn.* Sulpicio Coss. Qua in re vitium est; nam Sul-

picio Gallo non *Cnaeo* praenomen fuit, sed *Caio*, sive, ut posteriores scribebant, *Gaio*. Cf. Fast. Consul. ed. Almelov. ad ann. 588. et, qui vitium huius loci ipse quoque animadvertit, Oudendorpius ad Suet. p. 984.

ANDR. Prol. v. 1.

Poeta quum primum animum ad scribendum appulit.

„*Appulit.*] In secunda lectione *attulit* fuit, sed *appulit* magis; nam postea sic, *Animum ad uxorem appulit.*" — Exemplum Tarvis.: *magis: ut Terentius: nam postea sic.* Inde coniicio: *magis est Terentianum; nam postea sic.* Facile *ut* et *est* permutantur, et particula *nam* ultimam vocis *Terentianum* syllabam intercepit, unde *Terentius* ortum est. Qua ex causa longe plurima librorum vitia orta sunt. Cf. Scioppius Verisimil. l. I. 7. II. 14. Ruhnkenius ad Rut. Lup. p. 3. et 119.

ANDR. Prol. v. 22.

Dehinc ut quiescant porro, moneo, et desinant Maledicere, malefacta ne noscant sua.

„*Dehinc ut quiescant.*] Recte; nam *quiescere* ille dicitur, qui est insolens et inquietus. *Porro.*] In futurum dixit. *Moneo.*] Terribiliter dixit. Cicero: *Moneo, praedico, ante denuncio.*

Liberatus culpa etiam terret, alibi etiam criminaturus adversarios." — Mss. Lindenbruchii: *nam quiesce illi dicitur;* quod cur editores postliminio non restituerint, non intelligo. Ad hoc exemplum Tarvis. optime: *liberatus culpa etiam terret criminaturus adversarios.* Verbum *alibi* vel sic abiiciendum erat, quum *alibi* nunquam valeat *alias*, i. e. alio tempore, sed *alio loco*, quod hic absurdum. Westerhovio quidem unius Codicis lectio: *liberatus culpa enim respondet*, non displicet; at ego tale πρωϑύστερον non memini legere. Respondet poeta, ut culpa se liberet; postquam respondendo (quod usque ad v. 22. factum est,) culpa se liberavit, terret etiam, ut Donati verbis utar, criminaturus adversarios.

Andr. Prol. v. 24.

Favete, adeste aequo animo et rem cognoscite.

Favete.] Iam ad auditores convertitur, a quibus favorem captat. *Favete.*] Quasi dicat, hoc adversarii faciunt. Vos autem, quod in vobis est, *favete.* Et *adeste* non ut absentibus dicit, quippe qui corporibus praesto erant; sed intenti estote, favete, silete. Sic et Pontifices dicunt, favete linguis, favete verbis. Unde Virgilius: *Ore favete omnes. Adeste.*] Animis scilicet auxilium praebete, ut advocatus reo dicitur adesse." — Exemplum Tarvis. non male: - - - *favorem ca-*

ptat, quasi dicat. In verbis: sed intenti estote, favete, silete. Sic et Pontif. e. q. s. edd. omnes voc. *favete* sic scriptam habent, ac si interpretamentum sit verbi *adeste.* Verum novum inde Scholium incipit, quo eiecto, locus sic omnino restituendus est: „Et *adeste* non ut absentibus dicit, quippe qui corporibus praesto erant, sed intenti estote *sive* auxilium praebete, ut advocatus reo dicitur adesse.“ Ex. Tarvis. non habet, *scilicet auxilium*, sed *s. auxilium;* verba autem *adeste animis*, quae proprie, utpote ipsius Terentii, scribebantur: *Adeste animo*, inepto isti Scholio, quod eiecimus, originem debent, idioque una inducenda sunt.

Andr. Prol. v. 25.

Ut pernoscatis, ecquid spei sit reliquum:
Posthac quas faciet de integro comoedias
Spectandae, an exigendae sint vobis prius.

„*Relliquum.*] Sunt qui pro relliquorum accipiant, ut sit sensus: de hac fabula sumite specimen, ut sciatis an ceterae vobis spectandae sint. Nam postmodum dictum alio Prologo, *Alias cognostis eius, quaeso hanc noscite. Relliquum.*] Quasi diceret *Postremum*; ergo adverbium est, id est τὸ λοιπόν. Sed sive hoc relliquum dicit, sive relliquum pro relliquorum, geminato ll scribitur.“ — Glossa mendis foe-

dissimis scatet. Primum corruptelam sapit, *hoc relliquum dicit.* Aliquid excidisse puto et ita scripsisse Scholiastem: „*Sed sive hic* (i. e. hoc loco) *reliquum pro adverbio dicit.*“ Deinde prodigiose legitur: *geminato ll scribitur.* Ex. Tarvis. optime: *geminato u scribitur.* Respicit scriptor diaeresin, quae *u* duplex necessario postulat; nam vulgo olim scriptum est *relicum*, ut *anticum*, et sic alia. Cf. Heinrichius V. Cl. ad Schol. in Cic. Orat. pro Scauro p. 54. not. 13. Ipsum etiam exempl. Tarvis. non *relliquum* habet, sed *reliquum.* Totus denique locus sic integrandus: „*Reliquum.*] Quasi diceret *postremum*, ergo adverbium est i. e. τὸ λοιπόν. Sunt qui pro *reliquorum* accipiant, e. q. s. Sed sive hic *reliquum* pro adverbio dicit, sive *reliquum* pro *reliquorum*, geminato *u* scribitur.“

ANDR. I. 1. 13.

SOS. *In memoria habeo.* SIM. *Haud muto factum.*

„*Haud muto factum.*] Vetuste: non me poenitet; nam si quid poeniteret, *infectum velle* dicebant. An secundum ius, quod adversus libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur? Sed hoc non convenit senem dicere. Legitur et *Multo*, hoc est, *damno*, *reprehendo:* quod si est, sic intelligeretur, non nollem factum. Nemo enim potest factum infectum reddere. Sed

adverbialiter dixit, ut dicimus, *nollem factum, nollem huc exitum.* Ergo *haud muto factum,* non poenitet me facti.“ — Cohaerent belle hic omnia. Quodsi *multo* vera lectio fuit, cur tandem additur: *quod si est?* At lectionem *multo* Scholiastes iam explicavit: *damno, reprehendo;* adeo inepte inculcatur alterum interpretamentum: *non nollem factum.* Pro *adverbialiter,* quod sensum non habet, ex. Tarvis. aliud, sed nihilo id sanius, praebet, *admirabiliter.* Vide an et verbum et locum ex coniectura restituam: „*Haud muto factum.*] Vetuste: non me poenitet; nam si quid poeniteret, *infectum velle* dicebant; an secundum ius, quod adversus libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur? Sed hoc non convenit senem dicere. Nemo enim potest factum infectum reddere. Sed *proverbialiter* dixit, ut dicimus, *nollem factum, nollem huc exitum.* Ergo *haud muto factum,* non poenitet me facti. Legitur et *multo* h. e. damno, reprehendo.“ — Cetera delenda. Scholiastes *haud muto factum* non proprie accipiendum esse dicit, sed proverbii in modum; sicque alibi loquitur. Ad Hecyr. III. 1. 35. in verbis *sursum prorsum*: „Est proverbiale, ut dicimus, sursum deorsum, intro foras, hac illac, et similia.“ Ad Eunuch. II. 3. 12. *Quid tu es tristis? quidve alacris?* idem haec: „Proverbiale est in hominem perturbatum et incerti vultus.“

Andr. I. 1. 29.

Ut animum ad aliquod studium adiungant aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos.

„*Aut equos alere aut canes ad venandum.*] Si et equos ad venandum alunt quomodo et canes? Quod multi docti improbant et dicunt separata esse. *Ad philosophos.*] Vitium est, quia dixit, *ad aliquod studium.* Aut si ad philosophos: separanda locutio est, sic, ut animum adiungant ad philosophos.“ — Scholium utrumque corruptum; prioris certissimam emendationem mecum communicavit A. F. Naekius: Si et equos ad venandum alunt, quomodo *aut canes?* e. q. s.; alterum ego sic emendo: Vitium est, quia dixit, *ad aliquod studium*; aut *ad philosophos* separanda locutio est, sic, *ut animum adiungant ad philosophos.*

Andr. I. 1. 44.

Ex Andro commigravit huc viciniae,
Inopia et cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma atque aetate integra.

„*Inopia et cognatorum negligentia.*] Laudatis Pamphili moribus, qui mox ducet uxorem, superest ut futurae quoque matronae i. e. Glyce-

rio probitatem debitam pro persona reddat: quae quia honesta nunquam esse poterit, si sic eam constet ante nuptias, impudicam ductam esse, partim laudanda partim defendenda est Chrysis, cum qua commorata est: quam quoniam necesse est, meretricem fateri, in conditione turpissimi nominis multum sumitur excusatio voluntatis." — Verba: *si sic eam constet ante nuptias impudicam ductam esse*, ut nunc leguntur, nihili sunt. Schol. ad v. 48. dicit: „Artificiose ut videatur pudice apud eam futura materfamilias educari posse, quam meretricem necessitas fecit." Nostrum hinc locum corrigo: *si eam constet ante nuptias impudice eductam esse.* Sed graviore menda laborant, quae sequuntur: *in conditione turpissimi nominis multum sumitur excusatio voluntatis.* Scripserat, ni fallor, Scholiastes: *in conditione turpissimi nominis multum ponitur in excusatione voluntatis.*

Andr. I. 1. 61.

Eho quid Pamphilus? Quid? symbolam
Dedit, coenavit. Gaudebam.

„*Eho quid Pamphilus?*] Primo sic egit, ut de Pamphilo quaerere videretur, ad ultimum adiecit nomen, ne quid reliqui faceret." — Haec Scholiastes. Atqui senex quaesiverat: *Quis* heri Chrysidem habuit? non: num *Pamphilus* heri

Chrys. habuit? Igitur vide, quid descriptores peccaverint. Scriptum fuit, Primo sic egit, ut *non* de Pamphilo et q. s.

ANDR. I. 1. 73.

Ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.

„*Unicam gnatam.*] Quid si taedio multorum filiorum? at unicam. *Cum dote summa*] Quid si pauper est? at cum dote summa.“ — Westerhovius coniicit bene: *multarum filiarum.* Exempla vett. pro *at* habent *ait;* quam scripturam ille restituendam dicit. Verum sic optimi quique loquuntur. Consul. Budaeus Comment. L. Gr. p. 1129. 43. seq. ed. Basil. Male autem indicativus modus legitur in verbis: *Quid si pauper est?* Vel hoc nomine ambabus amplector, quod ex. Tarvis. praebet: *Quid si pauperem?* i. e. quid si gnatam pauperem filio uxorem dedisset?

ANDR. I. 2. 16.

Nam quod antehac fecit, nihil ad me attinet.

„*Antehac*] pro *antehac* consuetudine magis, quam ratione dicitur.“ — Ex. Tarvis. bene: *pro antehaec.*

ANDR. I. 2. 21.

DAV. *Ita aiunt.* SIM. *Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum* etc.

„*Ita aiunt*] haec credunt et loquuntur universi; et est trepida confessio et quasi inviti responsio.“ — Ms. Lindenbruch. et ex. Tarvis.: *tepida consensio?* quo nihil melius. Schol. ad II. 5. 9. *consensio segnis et tepida.*

ANDR. I. 3. 13.

Nam incoeptio est amentium, haud amantium.

„*Amentium haud amantium.*] Amabant veteres de proximo similia dicere, ut Cicero, *Minus charum putavit fore de armario, quam quod de sacrario fuisset ablatum.*“ — Verba extant Verrin. IV. 12. unde hic emendandum est, minus *clarum* putavit fore, *quod* de armario, quam quod de sacrario *esset* ablatum. Conf. Garatonius ad Cic. l. l.

ANDR. I. 5. 33.

PAMPH. *Quid agit?* MYS. *Rogas? Laborat e dolore.*

„*Laborat e dolore.*] Mysis, quae contra patrem suasura est, incertum inveniens Pamphilum, facile ad se convertit mentione dominae

suae, et maxime quod addidit, cur illam aegram esse dicat; quare statim perfectum est, quod volebat, ut dicat Pamphilus, *Egone istuc conari queam?*" — Ex. Tarvis.: - - - *et maxime quod addit at illam aegram esse dicat.* Inde coniicio legendum: *et maxime quod addidit, illam aegram esse.*

Andr. I. 5 34.

Ex hoc misera sollicita est, diem
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae.

„*In hunc diem*] Idem enim dies est, quo placuerant destinatae nuptiae, quamvis Chremes renuntiaverat." — Vitium locum traxisse, et verba et sensus ostendunt. Ego corrigendum puto: *Idem enim dies est, qui prius erat destinatus nuptiis, quam Chremes renuntiaverat.* Tmesi *priusquam* divisum est, ut saepius. Caes. Bell. Civ. III. 1. „Statuerat enim hos *prius* iudicio populi debere restitui, *quam* suo beneficio videri receptos."

Andr. I. 5. 34.

Tum autem hoc timet
Ne deseras se.

„*Tum autem.*] *Tum* praeterea, tertiam sollicitudinem habere Glycerium, ne deseratur a

Pamphilo." — Ex. Tarvis. optime: *habere Glycerium ostendit, ne* etc.

Andr. I. 5. 43.

Adeon' me ignavum putas,
porro ingratum aut inhumanum aut ferum?

„*Adeon' porro ingratum aut inhumanum.*] Mira omnis conversio. Non enim dixit: adeon' me obsequentem patri existimas, adeo gratum, adeo pium, adeo mansuetum?" — Ex. Tarvis.: *mira hominis conversio;* quod restituendum.

Andr. I. 5. 50.

Accessi; vos semotae; nos soli; incipit.

„Figurae propriae Terentianae, ἀσύνδετον καὶ ἔλλειψις." — Westerhovius: „Lege, *Terentio.*" Quod ante pedes erat, et ex. Tarvis. exhibet, non vidit vir optimus. Lege: *Figurae proprie Terentianae.*

Andr. II. 1. 5.

Quoniam non potest id fieri, quod vis,
Id velis, quod possit.

„*Quoniam non potest.*] Consolatio ad id, quod fieri non potest, suadens. *Id velis quod possit.*] Proverbiale." — Corruptum hoc est.

Coniunctim lege: „Consolatio ad id, quod fieri non potest, suadens, id ut velit, quod possit. Proverbiale.“ In exemplo Tarvis. vestigium verae lectionis apparet: *id ut velis.*

ANDR. II. 1. 12.

Ipsum hunc orabo, huic supplicabo: amorem huic narrabo meum:
Credo impetrabo, ut aliquod saltem nuptiis prodat dies.

„*Amorem huic narrabo meum.*] Non studium aut voluntatem, sed *amorem;* nec petam, sed *narrabo* dixit; totum magnifice.“ — Sic vulgo legitur. At quid est: *petam amorem?* Corrige: --- *nec petam, sed impetrabo dixit.*

ANDR. II. 2. 26.

CHAR. *Recte dicis.* PAM. *Perge.* DAV. *Maneo.*

„*Recte dicis. Perge.*] Vultu enunciandum. Hoc dicit Pamphilus. *Maneo.*] At parum temporis fuisti.“ — Ex. Tarvis. non agnoscens hanc notam, habet: „*Maneo.*] *Ne temporis fuerit dilatio;* id quod bonum, si erit suo loco restitutum. Repone igitur: „*Recte dicis.*] Vultu enunciandum. *Perge.*] Hoc dicit Pamphilus, ne temporis *fieret* dilatio.“ De temporum permu-

tatione consule Oudendorp. ad Caes. Bell. Gall. I. 8. Ruhnken. ad Velleium I. 9. Alterum illud Scholium inde venit, quod sciolus quis verbis: *ne temporis fieret dilatio*, adscripserat: *nam parum temporis fuit.*

ANDR. II. 2. 29.

DAV. *Num videntur convenire haec nuptiis?* PAM. *Non, opinor.* DAV. *Opinor, narras?*

„*Non opinor.*] Quoniam argumenta sunt et coniecturae, *opinor* dixit.“ — Legendum est: „quoniam argumenta sunt *ex coniecturis*, opinor dixit.“ Schol. ad I. 1. 117. „*Venit Chremes.*] Argumentum ex coniectura.“

ANDR. II. 6. 18.

SIM. *Quidnam est?* DAV. *Puerile est.* SIM. *Quid est.?* DAV. *Nihil.*

„*Puerile est.*] Apparet Davum nunc quaerere quid respondeat et ad quam causam derivet aversa suspicione tristitiam Pamphili, quam animadvertit senex.“ — Verba: *ad quam causam derivet*, corrupta sunt. Emendo: *a qua causa derivet.*

ANDR. III. 1. 1.

Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia.

„*Ita pol quidem res est.*] In hac scena novo modo, cessante Davo, fallitur Simo per nimiam sagacitatem suam. Simul in hac scena id agit poeta, ut ad nuptias faciendas magis accendatur Simo; et quaedam velut casu eveniunt: ut nunc suspicio senis. In multis enim οἰκονομίαι comicorum poetarum ita se habet, ut casu putet spectator venisse, quod consilio scriptorum factum sit.“ — Ex. Tarvis. ita habet: - - - *et quadam agit velut casu eveniunt, ut nunc suspitio senis.* Inde locus sic restituendus videtur: *et quae quidem de industria agit, velut casu eveniunt, ut nunc suspicio senis.*

Andr. III. 3. 1.

SI. *Iubeo Chremetem.* CHREM. *Oh te ipsum quaerebam.*

„*Iubeo Chremetem*] Firme aliquid iubere, velle est. *Iubere* ergo, *volo;* et deest *salvere,* quod exprimitur ab alterius personae interventu.“ — Sic editt. omnes. Ego vero legendum conieci: *quod opprimitur alterius personae interventu.* Schol. ad Andr. IV. 4. 51. „Fiunt ἀποσιωπήσεις, id est, reticentiae, tribus modis. Aut enim tacet per se ipsum, et ad alium transit: et est prima; aut tacet, nec ultra aliquid dicit, et est secunda; aut *alterius interventu personae silet; et est tertia.*“ Quo tamen ipso in Scholio vitia

haerent. Corrigendum est: Fiunt ἀποσιωπήσεις, id est, reticentiae, tribus modis. Aut enim tacet *persona ipsa* et ad *aliud* transit; et est prima; aut tacet, nec ultra aliquid dicit: et est secunda; aut alterius interventu personae silet: et est tertia.“ *Persona* siglo olim scriptum est *persa*: inde orta est corruptela. *Persona ipsa tacet* opponitur verbis: *alterius interventu personae silet*. *Ipsa*, sua sponte, per se; quod Graecorum exemplo Latini dicunt. Cic. Offic. I. 22. „Ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt.“ Plura exempla collegit Ernestius Clav. Cic. s. v.

Andr. IV. 2. 14.

Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.

„*Hanc nisi mors mihi adimet nemo.*] Perseverat, ne dicat, pater: pro, Non adimet pater.“ — Exempl. Tarvis. optime: Perseverat ne dicat, Non adimet pater.

Andr. IV. 4. 8.

MYS. *Cur tu obsecro hic me solam?* DAV. *Quae haec est fabula?*

„*Fabula.*] Fabulam se dicit audire, qui rei principium rationemque ignorat.“ — Ex. Tar-

vis. melius habet: Fabulam se dicit audire, quasi rei principium rationemque ignoret.

ANDR. IV. 4. 24.

Cedo, cuium puerum hic adposuisti?

„*Cedo.*] Cedo idem significat quod *dic* et *da* mihi. Ergo repetitionem significat, non supervacuam orationem.“ — Corrige ex libro Tarvis.: Ergo petitionem significat.

ANDR. V. 3. 1.

PAM. *Quis me volt? perii, pater est.* SI. *Quid ais omnium?* CH. *Ah* etc.

„*Quid ais omnium?*] ἀποσιώπησις tertia: et est ad deformationem personae. Et est irato familiaris ἀποσιώπησις, quum pro dignitate peccati non inveniat convicium.“ — Ex. Tarvis.: Et ē irato familiaris e. q. s. Lege: Est enim irato familiaris.

THESES CONTROVERSAE
AD DISPUTANDUM PROPOSITAE.

Quibus asteriscum praefixi, defendendas mihi dedit C. F. HEINRICHIUS.

I.

* *Veterum linguarum litterarumque studia fideliter assidueque coli salutis publicae multum interest.*

II.

Iudicium Bentleii de origine Tragoediae falsum est.

III.

* *Summum in Philologia est intelligere.*

IV.

Versus Homeri Iliad. V. 405. *obelo notandus est.*

V.

* *Fax Theologiae Critica est.*

VI.

* *Vox Goethii vera est, recentiorum temporum Philosophiam ad Philologum nil pertinere.*

VII.

Inanis est rumor, Terentium in scribendis Comoediis a Laelio et Scipione esse adiutum.

VIII.

* *Nullus est pleonasmus in scriptore bono.*

IX.

In Platonis Alcibiade I. p. 105. *Steph. verba παντὸς μᾶλλον ἄξιος a doctissimis quibusdam male tentantur.*

X.

* *Antiquarum rerum amor, nisi cum litteris et doctrina coniunctus sit, habendus est pars insaniae.*

XI.

Quaestiones in Philologia, quales sunt de particulis minimis, ut de part. ἄν, κέ *etc., momenti sunt longe maximi.*

XII.

* *Pessimae est Latinitatis, libros, dissertationes etc. sic inscribere: AUCTORE Caio vel Titio.*

XIII.

Vixit poeta Moschus.

XIV.

* *Bucolicum genus carminum nullum est.*

XV.

Versus Euripidis Hec. 205. *coniecturis corrumpitur.*

XVI.

* *Aeque recte dici potest* r e s t i t u t i o *in* i n t e g r u m *quam* i n = i n t e g r u m = r e s t i t u t i o.

XVII.

* *Compendiis studia corrumpuntur.*

XVIII.

Sophocli Oed. R. v. 887. *pro vitioso* ἔρξεται ψυχᾶς ἀμύνων *restituendum est:* ἔρχεται ψυχᾶς ἀμύνων.

XIX.

* *Veterum Philosophiam propterea velle contemnere, quia gentilium fuerit, stultum est.*

XX.

Mathesis hoc verissima est disciplina, quod est severissima.

XXI.

* *Mythologus haud magis nascitur, quam quilibet alius logus.*

XXII.

Xenophontis quae fertur Apologia Socratis spuria est.

XXIII.

* *A Logica in studiis minime incipiendum.*

XXIV.

Bentleium iuste refellere summa artis criticae exercitatio.

XXV.

* *Non aliunde dissidia in Religione pendent, quam ab ignoratione Grammaticae.* (*Iosephi Scaligeri.*)

XXVI.

* *Docentis officium maximum est nosse ac docere discendi vias.*

TYPIS BUESCHLERIANIS.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 050 373 9

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 050 373 9